



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Gallia Vindicata, In Qua Testimoniis Exemplisque
Gallicanæ Præsertim Ecclesiæ, Quæ Pro Regalia, Ac
Quatuor Parisiensibus Propositionibus A Ludovico
Maimburgo, Aliisque producta sunt, Refutantur**

Sfondrati, Celestino

[Ort nicht ermittelt], MDCLXXXVIII.

22. Secunda Epistola Alectensis ad Cardinalem Bonzium.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38277

vestra, quam perpetuam cupio, enixè commendo, plenissimeque reverentiæ, ac gratitudinis æternum persevero.

Alekti 30. Maij. 1676.

*Humilimus & Obedientissimus
Servus*

Nicolaus Episcopus Alektenfis.

Documentum XXII.

Secunda epistola ejusdem Alektenfis Episcopi ad Eminentissimum Cardinalem de Bonziz Archiepiscopum Narbonensem.

Die 8. Junij. Anno 1676.

Monita, quæ Eminentia Vestra placuit circa nuperam Constitutionem meam ad Regaliam spectantem per unum è Vicarijs suis mihi suggerere, cum ingenti animi ac reverentiæ sensu accepi, eundemque rogavi, ut meo nomine Eminentia Vestra gratias referret; dum interim ego maturè, ac coram Deo re omni expensâ statuere mecum possem; quid ad proposita respondere oporteret, idque postea Eminentiam Vestram per litteras edocerem. Et verò postquam omnia ad animum revocavi, & quidquid in utramque partem afferri dicique poterat, accuratè ac lentè discussi; fateor mihi nihil ex omnibus, quæ afferebantur, dignum occurrisse, quo ad mutandam primam sententiam, meamque Constitutionem revocandam moveri possem. Igitur de Canonica libertate non meam tantum, sed omnium hujus Provinciae Ecclesiarum, si ea, quæ in præfata mea Constitutione exposui, vera sunt, satis hoc erit, ut omnibus, qui modò judicio aliquo pollent, nec partibus addicti sunt, justa valensque appareat, & planè

K k 3

si quis

si quis examinanda huic quaestioni animum adjiciat, fatebitur omnia, quae à me illic producta sunt, non vera tantum, sed & clarissima, & certissima esse, nec alijs rationibus opus est, quam ijs, quae à Domino de Marca ad preces Conventus Gallicani anno 1656. conscripta, ac memoriae commendata, quaeque in libris de Concordia Imperij & Sacerdotij fusius ab eodem producta sunt, adjuncta dissertatione Domini Episcopi Montispeffulani (quam in una sessionum ejusdem Conventus peroravit) alijsque documentis titulisque, quos inter acta & annales Cleri Gallicani reperire est. In his omnibus hujus Provinciae libertas & exemptio clarissime apparet, non privilegij, non Regum favore & beneficio quaesita, sed naturali innataque ac canonicâ, ipsaque fundatione ductâ libertate. Hanc sibi adjunctam habuit, cum ad coronam Gallicam pervenit, eodemque ferè tempore hanc ei Concilium Lugdunense confirmavit, quo sub poena excommunicationis omnibus, quantacunque dignitate florentibus, prohibitum est, ne Regiam ad Ecclesias extenderent, hujus servitutis haecenus insuetas; néve Praelati alijsque gubernandis Ecclesijs admoti auxilio aut consilio eam promoverent, quin potius quantum pro virili sua parte possent, illi obniterentur; sed & Galliae Reges Christianissimi Decretis Concilij Lugdunensis obsecuti, hanc ipsam libertatem intactam illibataque Ecclesijs voluere. Nam Philippus Pulcher, quamvis jus Regiae pro ijs Ecclesijs, in quibus haecenus usu receptum fuerat, acerrimè tueretur, eâ tamen dato Diplomate, cujus Autographum in Archivis Ecclesiae Metropolitanae Narbonensis asservatur) hanc ipsam Ecclesiam minimè voluit; tantumque abest, in hac libertatis suae possessione quatuor ferè seculorum decursu, quae à Concilio fluxere, turbata esse, ut

ut potius quam plurimis authenticis titulis legitimisque documentis confirmata & stabilita sit. Ecce, Eminentissime Cardinalis, Constitutionis à me editæ fundamenta. Ea verò nihil aliud complectitur, quàm quæ à jure communi Concilioque Oecumenico quadringentis jam ferè annis totà Gallia recepto decreta sunt. Hoc cum animo reputarem, nunquam difficultates & pericula, quæ ex hac Regaliæ causâ consecutura prævidebam, tanti mihi visa sunt, ut removere me ab inceptis deberent. Explevi quæ conscientia meâ ac officio pastoralis debui, cætera Divinæ providentiæ committo. Non sum equidem rerum hujus Mundi adeò ignarus, ut non omnino occurrerit, quàm multa & gravia instarent mihi, si pergerem Regiis mandatis oblitari, cæterùm quoties DEI & justitiæ ac Ecclesiarum causâ agitur, nihil est tam magnum arduumque, quod morari ac perterrere nos debeat, præsertim cum non ego me periculis ac pugnae objecerim, sed potius provocatus coactusque in aciem processerim, nec prius loqui cœperim, quàm cum amplius tacere non licuit; & tunc quoque, cum loqui ac repugnare necessitas fuit, id solum commisi, ut Sacramentum fidelitatis non permiserim in acta publica referri, id enim si permisisset, hoc ipso videbar in Regaliam consentire. Cum verò ob neglectam hanc solemnitatem Regaliam in hac mea Ecclesia, cui quadraginta jam annis præfueram, apertam esse contenderent, scripsi ad Comitium Cleri generalia, rogavique, ut in hoc Regaliæ negotio causam Ecclesiæ sustinerent, ac Regi supplicarent, id enim ab alijs Cleri Conventibus semper hætenus observatum esse, eodémque tempore ad Eminentiam Vestram ac hujus Provinciæ Deputatos litteras exaravi. Non immeror equidem examinandis causis, quæ Patres illius

Gallia
indivisa
Ca III
230

illius Sacri Senatús permoverint, ut nec Rege admonito, nec provis remedij Conventum absolverint, cum tamen ea causa esset, quæ præcipuè ad Clerum spectaret. Non ideò tamen minorem mihi credidi obligationem incumbere jura Ecclesiæ meæ defendendæ, quin potiùs tanto majorem eam esse censui, quanto minus auxiliij ab alijs sperarem, & cum paulò post certior redditus essem, quamplura ac præcipua Ecclesiæ Cathedralis ac Diocesis nostræ beneficia titulo Regaliæ collata esse, consilium tandem cepi Constitutionem meam in publicum edendi, cum hoc unicum remedium superesset, quo libertatem ejusdem Ecclesiæ tueri, turbasque, quæ instare videbantur, avertere liceret. Scio obijci mihi, quod etiam Eminentia Vestra dignata est insinuare, hanc causam à Regio Senatu in Judicio Contradictorio præsentibus Cleri Deputatis judicatam esse, ipsùmque Clerum agnovisse Regium tribunal, seque illi submisisse, non ergo licere amplius reclamare. Hæc oppositio quàm est speciosa, tam fundamento ac soliditate caret. Nec enim in hac causa, si loqui propriè velimus, Regium forum Clerus agnovit, quippe qui Henricum IV. imploravit, suasque apud eum querelas deposuit adversus Parliamenti Parisiensis anno 1608. pronuntiatam sententiam, quam Ecclesiæ libertatibus gravem, Regioque Henrici Edicto duos ante annos vulgato, & cui Parisiense Parliamentum aliquamdiu repugnavit, contrariam affirmabant; easdemque postea querelas apud Ludovicum XIII. gloriose memoriæ, ac regnantis Ludovici Patrem repetij; isque, ut ex publicis Cleri documentis constat, manum huic negotio finemque per extraordinarios Commissarios (inter quos quamplures Antistites) apponere destinaverat, fecissetque, nisi mors destinata prævertisset. Lites ac

con-

contestationes, quæ postea coram Senatu Regio agitæ sunt, vertebantur solum inter particulares Regalistas ex una, promotisque ab Ordinarijs ex altera partibus; non ideo tamen Clerus Gallicanus aut finem implorandi Regem fecit, aut libertatem Ecclesiarum Compromisso submittere voluit, quam semper ut certam, nullique dubio, aut liti expositam agnovit. Poterant ergo sententiæ à Regio Consilio latæ, & quibus Procuratores intervenerant, privatorum negotia litæque finire; quippe cum de dubijs incertisque causis ageretur. Id verò ut ad omnia indistinctè negotia extendatur, etiam ad illa, quæ spirituales Episcoporum auctoritatem ac Ecclesiarum immunitatem tangunt, quæque nullum prorsus dubium aut litem patiuntur; enimverò indignum id esset, plenumque periculi. Nec verò Procuratorum interventus obligare Episcopos eorumque Dioceses potuit, cum in hujusmodi materijs nullam habeant Deputati, imò ne ipsa quidem Cleri Comitia, concludendi potestatem. Causa Regaliæ publica est, respicietque quinque aut sex Ecclesiasticas Provincias, compluresque particulares Dioceses, agiturque de conservandis Ecclesiæ non solum redditibus temporalibus, sed præsertim Dignitatum, Canonicatum, aliorumque principalium beneficiorum Collatione, quæ spirituale ac Hierarchicum quoddam jus est, nec libertas aut Possessio, quæ Ecclesiæ hac in parte fruuntur, dubia aut incerta est, sed certa, notoria, ac omnino comperta; malè ergo Ecclesiæ negotium gessissent, si illud iudicio foroque submitterent Regij Senatûs; & si demus id factum esse, semper tamen Episcopis, quorum interest, potestas fuit remanendi revocandique contra jus & canones gesta. Clero coram Regio tribunali nihil aliud præstare licuit, quam

L I ut

allia
indicati
L III
230

ut causæ momenta Principi exhiberet, ejusque contra Regios Ministros libertati Ecclesiarum infestos opem invocaret, id quod præteritis etiam annis ab eodem Clero factum est, quando contra Parisiensis Parlamenti sententiam, Henrico IV. & Ludovico XIII. gloriosæ memoriæ Regibus supplicavit; intelligebat enim, juribus & libertatibus Ecclesiæ quamplurimum detrahi, imò aliquâ ratione ea deseri prodique, si, cum certa & indubia essent, pro incertis & indecisus haberi pateretur, ac cognitioni Regiorum Ministrorum submitteret, qui aliàs naturali quâdam propensione feruntur Regum jura ultra terminos proferendi, & tunc præsertim, cum non de Regis solùm, sed etiam de ipsorummet commodo & auctoritate agitur, ut in præsentis Regaliæ causa. Non ergo formalitates aliqua, quas dicunt in præsentis negotio observatas esse, Episcopis opponi possunt, quò minùs reclamare, suarumque Ecclesiarum jura sustinere debeant, præsertim cum Regijs Ministris jam solemne usûque receptum sit, ut quoties bellum Ecclesijs & earum immunitatibus fecerint, semper speciem aliquam formamque justitiæ obtenderint; quam si morari Episcopi voluissent, nunquam causâ Ecclesiæ contra eos, qui opprimere eam nitebantur, defensa esset. Imò rem attentè considerantibus palàm est, hoc unum ex eorum artificijs fuisse, qui Ecclesijs Regaliam imponere moliebantur; sensim enim placidèque plures Procuratores, Prælatos & Capitula induxere, ut judicio se susterent Regij Senatùs, suæque libertatis titulos & acta producerent, ac postea reclamare volentibus opponerent; causam hanc jam examinatam decisamque in Judicio Contradictorio fuisse; prævidebant enim, nisi hisce compendijs uterentur, & aliquam justitiæ formam præferrent, nunquam ad optatum finem perventuros.

ros, & hanc ipsam justitiam specie Regis animum occuparunt, effeceruntque ut in suas partes transfiret; nec lucrari aliam rationem eum poterant, quippe æqui justique amantem; ac etiam cum de ipsius commodis agitur, earum regularum, quæ semel constitutæ sunt, observantem. Sed nec contenti in ijs, quæ ad formam modumque pertinent, Regi imponere, id multo magis quoad substantiam ipsam fecere; suggererunt enim Majestati Suæ, Regaliam jus esse Gallicæ coronæ coævum, eique necessarium annexum, ac naturam suam universalem, ac uniforme, totumque Regnum complecti: quæ omnia planè nova dogmata sunt, recensque inducta, ac historiarum testimonijs, Oecumenici Concilij toto Regno recepti Decisionibus, novis antiquisque Regum edictis, authenticis Camera Parisiensis documentis, Parliamentorum ab aliquot jam seculis arrestis, ac denique Auctorum, qui de hoc Argumento scripsere, quique inter præcipuos Senatores Regisque Ministros numerabantur, sententijs ac doctrinæ contraria. Præterea in hoc ipso, quod nobis obijciunt, Regij Consilij judicio Prælatos & Capitula ad producendos titulos, & alia suæ exemptionis documenta compulerunt, perinde ac si privatis privilegijs ac Contractibus (quemadmodum alia quædam Ecclesiæ Regaliæ olim subiectæ, & in Provincijs sitæ huic oneri assuetis) libertatem suam debeant, cum tamen ea potius ex natura Ecclesiasticorum Beneficiorum, non aliunde proveniat, nec proinde alio titulo aut probatione, quàm naturalis suæ possessionis indigeat. Has verò Ecclesias postquam in earum classem redegerunt, quæ particulari titulo à Regalia exemptæ sunt, continuo adjecerunt, eas nihilominus Regaliæ subiectas esse, nec defendi posse continuam & immemoriam possessionem; quippe jus Regaliæ adeo coronæ annexum esse, ut nec

L 1 2

alienari

Gallica
inducata
L III
230

alienari nec præscribi possit: qua in ratiocinatione illud ipsum supponunt, quod probari, non supponi debuit; si enim jus Regaliæ nec alienari nec præscribi potuit, ergo jus Regaliæ jam constitutum & stabilitum esse oportuit, id verò probari debuit, cum in hoc ipso tota lis & cardo hujus quæstionis vertatur. Hæc si explicata Regi fuissent, nostrarumque Ecclesiarum jura & libertas, uti par erat, exposita, nimium haberet ille æquitatis, ut numquam pati posset libertatem & prærogativam Ecclesijs adimi, quibus à prima fundatione fruebantur, quæque alij retrò Reges intactas semper illibatasque voluerunt. Id ergo unum superest, ut Regi vid. res tota, ejusque fundamenta & rationes, uti se habent, ante oculos ponantur, nec verò aptior alius est, qui præstare id possit, quàm Eminentia Vestra; character quippe & dignitas Metropolitanæ, ac præsertim gratia, quæ apud Regiam Majestatem floret, Eminentia Vestra ante alios id præstabit, ut vid. & loqui de hac causa liberè audeat, & à Principe libenter gratèque audiatur. Dignata est jam aliquoties Eminentia Vestra mihi significare, gratum sibi acceptumque fore, si cum necessaria aliqua occurrent, non ommitterem eam submonere; at verò nihil magis necessarium majorisque momenti occurret, quàm quod præsens occasio monendum offert. Libertas nostrarum Ecclesiarum, quæ immunes à Regalia constituuntur, Depositum quoddam est fidei Episcoporum commissum, nobisque obligatio incumbit integrum illud intactumque Christo Jesu supremo Ecclesiarum Pastori restituendi. Ego eâ jam ætate sum, ut reddendis villicationis meæ rationibus vicinum me sentiam, nec aliud magis conscientiam meam prægravaverit, quàm si contra officij mei debitum apertamque veritatem jura ac libertates Ecclesiæ meæ prodam.

dam. Necego sum solus, cui hæc causa tantopere cordiacuræ sit; nam Eminentiam Vestram non latet, quid plerique Episcoporum sentiant, & quàm apertè, dum occasio se offert, in hac causa loquantur. Compertum quoque mihi est, nonnullos Episcoporum scriptis protestatos esse, easque protestationes in Archivia suarum Dioceseon condidisse, ut hæc saltem ratione suarum Ecclesiarum juribus consulere. Me quod attinet, Deum enixè & ex intimo cordis precabor, ut quæ ad majorem sui nominis gloriam, Ecclesiæ utilitatem, ac Conscientiæ quietem faciunt, Eminentia Vestra inspirare dignetur; Ipsa interim dignabitur eodem, ut hæcenus, affectu & benevolentia profequi, qui interim Reverentiæ ac venerationis plenus sum, & ero semper. Alec'ti 6. Junij 1676.

Eminentia Vestra

*Humilimus & Obedientissimus
Servus*

Nicolaus Episcopus Alec'tensis.

Documentum XXIII.

Actus Appellationis ab Illustrissimo & Reverendissimo Episcopo Alec'tensi ad summum Pontificem & Sacram Apostolicam Sedem interpositæ contra Eminentissimi Cardinalis Petri de Bonzj Archiepiscopi Narbonensis Constitutionem in favorem Regalistarum editam.

12. Novemb. Anno 1677.

Anno 1677. die duodecimâ mensis Novembris in Civitate Episcopali Palatio Alec'tensi coram me Regio Notario & testibus infra nominandis personaliter constitutus Illustrissimus & Reverendissimus Dominus Nicolaus Pavillon,

L I 3

villon,

allia
indicata
ca III
230